Quelle: http://manuscripta.at/?ID=957
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

adnitentibus. apud rauennam in regni consortium ascitum. qui necdum .vii. mensibus
euolutis. ex hac luce subtractus est. His diebus apud bethleem palestine beatus
Iheronimus expletis .xci. uite annis. ad christum migrauit. Sequenti tempore max-
imus apud hispanias. factione iouiani. qui tunc in re militari clarus habeba-
tur. tirannidem arripuit. nec multo post superati uterque et capti. ab honorii
exercitu. eidem cum apud rauennam tricennalia sua pageret presentantur. Hac
tempestate britanni scottorum pictauorumque infestationem non ferentes. romam
mittunt. ac sui subiectione promissa. contra hostes auxilia flagitant.
Quibus statim ab honorio missa militum legio. magnam barbarorum multi-
tudinem strauit. ceterosque britannie finibus expulit. Sed mox ut discessere
romani. aduecti iterum nauibus hostes. obuia quęque sunt conculcant ac de-
uorant. Rursumque aduolant romani. cesumque hostem trans maria fugant.
Hoc tempore wandali alanique dum ispanias infestarent. honorius ad eas
defendendas. castinum ducem cum exercitu dirigit. Qui castinus preclarum ui-
rum bonifacium. ac bellicis artibus exercitum. inepto et iniurioso imperio. ab
expeditionis suę societate auertit. Bonifacius uero periculosum sibi indignumque
ratus eum sequi. quem discordem superbientemque expertus esset. celeriter sese ad por-
tum urbis. atque inde ad affricam proripuit. magnumque postmodum rei publice
detrimentum. totiusque africę causa excidii extitit. Castinus uero tanto colle-
ga ob suam intemperantiam priuatus. nil dignum in ispaniis gessit. Inter hęc pla-
cidia augusta a fratre honorio pulsa. ad orientem cum honorio et ualenti-
niano filiis profecta. a theodosio augusto archadii altero germani sui
filio honorifice libenterque suscepta est. Honorius uero postquam cum minore de quo
premissum est theodosio archadii sui germani filio annis .xv. imperasset. cum
quo iam antea cum fratre annis .xiii. ac sub patre duobus regnasset. rem publicam uti cu-
pierat pacatam relinquens. apud urbem romam uita exemptus est. corpusque eius iuxta
beati petri apostoli martyrium. in mausoleo sepultum est. Huic soboles nul-
la fuit. nam duę stiliconis filię. idem maria et hormantia. una post al-
teram ei coniugio sociatę. utręque dei iudicio. inopinata morte preuente
ex hac luce uirgines migrauere. Exempto rebus humanis honorio.